



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. Politia huius ditionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

dicitur. De aliis donationibus vt Othonis III. & Henrici res adeò difficilis & implicata, vt de iis nemo statuere nisi temere possit.

N V M. 6. *Politia huius ditionis.*

ELIGEBANTVR olim Pontifices à Clero populòque Romano; Imperatores quoque suam interponebant auctoritatem, & cogebatur Pontifex ab iis petere confirmationem primùm depensâ pecuniâ, mox sine precio: postea Imperatores totum ius creandi Pontificis sibi arrogauere, quo excusso penes Cardinales & Primate aliquot tota electio fuit. Anno 1259. ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi statutum vt ille Papa censeretur, qui à tertiâ parte Cardinalium præsentium electus esset, quæ consuetudo viguit vsque ad Martinum V. ad tollendum schisma. Postea Gregorius X. in Concilio Lugdunensi Conclauē (vt vocant) ordinauit, in quo eligitur Pontifex, vel per compromissum, vel per adorationem, vel per scrutinium.

CARDINALES non erant olim plures quàm 53. postea numerus creuit. Vidit Pius IV. 76. Sixtus V. 64. aiunt omnino 72. esse debere ex numero 72. discipulorum Christi Domini. Quando hæc dignitas primùm enata sit nemo facile dixerit.

ADMINISTRATIO ita se habet. Dataria & Officia Camera, vt vocant antiquitus concedebantur ob merita, nunc verò à Sixti V. Pontificatu venalia sunt. Dicitio Romana ab ipso Pontifice non à Legato administratur. Umbria per Legatum Perusinum regitur, Româdiola olim separatim Legatū habebat, nunc à Legato Ferrariensi ius ei dicitur. Ducatus Spoletanus & Marchia Anconitana vnâ legationem efficiunt, & Anconitana dicitur. Bononiensis ager suum Legatum habet, sicut dicitio Pontificia in Prouincia suam, vulgò *le Legat d' Auignon.*

IVS IN BENEFICIA. In Germaniâ Canonici & Capitula eligunt Episcopos suos, præterquã in iis locis quæ familiæ Austriacæ sunt, vt & in Hungariæ regno vbi ab Archiducibus nominantur. In Galliâ solius est Regis Episcopos nominare, & præficere quos velit Abbatibus Regalibus. Rex Catholicus in Hispaniâ, Belgio, Indiâ Occidentali, Sardinia, & regno vtriusque Sicilia nominat Episcopos 24. ex conuentione factâ cum Clemente VII. Rex Poloniæ & Lusitanie idem quoque sibi ius arrogat, diplomata

tamen confirmationis omnes à Pontifice debent impetrare, quæ censum Pontificis plurimum augent, vt hîc sileam Anatas, & alios eiusmodi modos, quibus Pontificia dignitas honoratior existat.

DIVITIÆ. Varias rationes quibus Pontifices pecuniam conficiunt leges in tractatu de Principibus Italiæ. Hodie 10. milliones librarum nostrarum colligere dicitur. Sixtus V. in Mole Hadriana 4. milliones auri cum dimidio seposuerat ad subitos, atque difficiles Reip. Christianæ casus. In expeditione Ferrariensi, & arcibus ibidem construendâ impensi sunt duo milliones auri à Clemente VIII. reliqua lege loco iam à me citato, vbi videbis Sixtum V. decies octies centena millia coronatorum ex ditionibus suis confecisse, & aliquando duobus annis ab exactionibus quas *Spogli* vocant, octies centena millia coronatorum in Cameram inuexisse.

VIRES. Posset 50. millia conscribere bellatorum expeditissimorum, quidam dicunt 60. peditum millia, equitum 15. sed ex diuturno otio ad fugam sunt quàm ad bellum aptiores, vt ætate nostrâ contigit. Milites stipendiarios iam nullos habet Pontifex præter ducentos Heluetios Prætorianos, & centum equites leuis armaturæ. Habet & 25. Heluetios Rauennæ, 25. in agro Piceno, ac totidem equites. Paucos item Præfidiarios alit in Mole Hadriana, Anconæ & in aliquot arcibus. Bononia ex suis redditibus habet centum stipendiarios Heluetios, ac totidem equites. Olim variis in locis DCCC. Corfos stipendiarios numerabat. Classis eius constat ex 12. triremibus, sed tantùm cum periculum exigit, nam vix septem armaturæ oram vtriusque maris legunt.

SVBDDITI Principes Pontifici, & Magnates hi vulgò dicuntur, ex Vrfinâ domo Braciani, S. Gemini, Onani. Item Columnenses *les Colonnes*, Sabellini *les Saueilli*, Comites *les Comtes*, Caietani, Cæfarini, Vitellij, Aldobrandini, Borghesij, Cesini *les Cefsi*, Barberini, &c.

NVM. 7. De Duce, & Ducatu Vrbinatæ.

GENS Roborea, nobis *de la Roueré*, originem satis humilem habuit ex vrbe Sauonâ, excitata à Sixto IV. à Iulio II. promotæ, Pontificibus aliquot eam euertere nitētibus fortiter restitit. Quomodo autem se habuerit hæc familia, mox edisceas ex stemmate.

Dux